



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 22. Florentinis repugnantibus Papa bellum nuntiat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A. C. 1512.

§. XXI.

*Papa Medicæis Florentiæ imperium
restitui sollicitus.*

Agebatur in eodem congressu de Medi-
cæis in Florentiæ imperium repo-
nendis; Gurcensis tamen Episcopus, cui
hoc consilium minus probabatur, nego-
tii hujus decisioni obstitit: nihilominus
Congregati paulo post voti sui compotes
facti sunt, Julio Pontifice operam suam
impendente; hic enim haud ignarus,
quod Julianus Medicæus Mantuæ age-
ret, ad eum ablegabat Bernardum Bi-
bienam, quem ei non modo tanquam hu-
jus causæ socium adjunxit, sed etiam
velut Sedis Apostolicæ Ministrum rem-
urgere jussit.

*Marian. l. 30
n. 57.*

*Raynald. hoc
ann. n. 61.*

§. XXII.

*Florentinis repugnantibus Papa bellum
nunciat.*

Bibiena gravissimis rationum momentis
Medicæorum causam tuebatur, Flo-
rentinis tamen obfirmato animo reluctan-
tibus Papa bellum nunciare compelli-
tur: Unde jam secunda vice Medicæum
Cardinalem Pontificii exercitus Lega-
tum renunciat, Urbinatis vero Duci, ut in
Mantuano congressu decretum est, supre-

D d 4 mum

Sæc XVI.
A.C. 1512.

mum copiarum imperium defertur: Cardonnæ quoque Neapolis Proregi datum est negotium, ut copias suas in Florentinos duceret, quamvis non nisi duobus majoribus belli tormentis instructus esset. Ast hinc Cardonna, illinc Urbinatis Dux rem insolita lentitudine agrediebantur, imo Cardonna etiam missis ad Florentinos Oratoribus adeo proficuas eisdem obtulit conditiones, ut illas ab eis rejiciendas vix credere posset; nam præprimis postulabat, ut Soderino alius Dictator subrogaretur, Medicæi vero velut privati cives reciperentur, nec publica imperii negotia eis committerentur, nisi quædam ex plurimorum sententia illis credere luberet.

§. XXIII.

Pratum a Cardonna occupatum.

Marian. lib.
30. c. 59.

Hac Florentinorum repugnantia concitatus Cardonna, Pratum obsidere decernit; ast urbem ea, qua munitissima esset, parte aggressus, duobus suis tormentis post viginti quatuor horarum explosionem nequidem muro labem intulit. Cumque Hispanis commeatus deficeret, ad aliam expeditionem educi postulabant, quibus Cardonna Pratum digito monstrans respondit: ecce urbem, in qua famem, si quæ vos premit, abunde propulsabitis.